DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. DECEMBRIS.

M. ANDREA GVYET, Doctore Medico, Moderatore.

Est-ne Scorbutus ab aquarum vitio? 1123.

SCORBVTI, morborum quorum in abdomine origo est, grauissimi, vna est natura, licet sint variæ species variaque nomina: cognitu quidem difficilis est, quòd diuersorum morbo-
rum formas induat; non ita tamen vt latuerit veteres, qui aliâ ipsum, à nostra, nomenclatione designarunt. Si pingendus est verbis, dicatur intemperies calida partium quæ nutritioni præ-
cipuam nauant operam, imprimisque Lienis & Hepatis consociata succo melancholico corruptione deprauato saniéque multâ soluto. Illic quidem prima morbi radix; sed quæ longè laté-
que propagata labem vix vllâ arte eluendam aspergit reliquis partibus; vt quibus è fontibus decurrebat accommodatus ad vitam succus, summa fluat veneni pernicies. Sæpe diu jacet
iners ac veluti sopitus tam fœdi morbi parens humor, nitente etiamnum foris corpore quod intus reconditam celat spurcitiem. Initio ægrum infestant spontaneæ lassitudines, grauitatis
sensus ad lumbos & hypochondria, ructus, frequens expuendi necessitas, largioris vrinæ profusio, ventris segnities, absque siti & appetentiæ dejectione. Accedit ad hæc pulsus exilis or-
dinisque expers, pectoris angustia, mentis torpor. Cùm augescit malum, jamque erumpere gestit inclusus & qui malè putruit humor, subtumida facies plumbeo colore inficitur, pruriunt
saniéque manant emollitæ gingiuæ, os, vnde & hæc affectio stomacace vocatur, halat tetram ac fere contagiosam auram, subindeque vlceribus cancri in modum labra genasque depas-
centibus deformatur. Partes inferiores haud multò meliori esse conditione declarant quæ in cruribus pedibusque conspiciuntur maculæ, raró rubræ, vt plurimùm subliuidæ & nigræ, sce-
lotyrben idcirco nominant. Diceres ex tot malorum concursione inesse θεῖόν τι.

SCORBVTI non vna est forma, quòd nec vnam eandemque partem affligat, nec eadem sit corporum temperatio, nec qui illum procreat humor vnus sit, nec eâdem semper ratione
putrescat. Vno tamen omnes quos prehendit laborant vitio coctionis, quâ plurima cumulatur bilis nigra permista sero, quo illa velut vectore vltrò citróque permeat. Hinc toti in hunc
affectum propendent qui sic nati sunt, vt tetri illius succi assiduum prouentum faciant, nec jam ipsius, vt olim, per eas quæ ad ani marginem excurrunt venas profusione leuantur. Eódem
biliosos esse correptos, propè inauditum est. Nec perinde quâuis anni tempestate grassatur; fere silet hyeme, & æstate; vere, quo agitatus sanguis funditur; maximéque autumno, quo ei
cognatus humor dominatur, insolescit. Et citiùs vbi ducitur aër conclusus nec satis perflatus, aut lacuum, stagnorum, paludum, maris, ipsoue scorbuto infectorum expiratione fœdatus.
Ad eundem progignendum magnam quoque vim obtinent crassæ, viscidæ, saleque, ac fumo duratæ carnes. Facilè & mœrore aduocatur, nec raró quiete nimiâ. Omnino exsibilandi qui
dum diræ hujus ægritudinis causas exquirunt, non sat sibi videntur sapere; nisi & cœlum ipsum vituperent. Quam ob rem verò aquæ, quàm cæterarum rerum major est efficacitas, an
quòd peruadit omnia, singularique seu priuilegio, seu maleficio, quo caret aër, altè infigitur diuturnam in corpore moram tractura? an quod Ventriculum, Lienem, Hepar, reliquasque
primæ regionis partes, quas ne minimum quidem castigata primùm attingit, suis penitùs vitiis imbuit?

QVEMADMODVM ad salubriorem vitam mirificè conducit optima aqua; qualis est tenuissima, purissima, & leuissima; quæ nimirum citissimè permeat hypochondria, caloris frigo-
risque vim promptissimè excipit, & in qua legumina celerius excoquuntur, nihilque vitij, siue visu, siue gustu, siue odoratu deprehenditur; sic valetudini impensius aduersatur quæ ab illius
præstantia deflectit, hoc pejor, quò remotior, quóque pejor, eò ad scorbutum ingenerandum aptior & paratior. Eò est ingenio aqua quæ aliquando frigore conglaciauit & quæ ex niue
pruináque concreuit; quia namque quod erat leuissimũ euanuit, manente crassitudine; dura est & grauis hypochondriis, tardéque secedit. Magis adhuc fugienda, firmâ suspicione putredinis,
quæ & coloris est, & odoris adulterati. Deterrima seu fontana, seu fluuiatilis, quæ nec bellè fluit, nec è laudabili scaturigine prodit, nec per spatium vitij expers decurrit, cloacarum sordes
admittit, cadaueribus inquinatur, multorum concursu fluuiorum solutæque niuis & glaciei illapsu turbatur. Par ferme ratio putealis, lacustris, stagnantis, & palustris.

SERVM secretura Natura non solis vtitur renibus, sed etiam Liene, cui ad eam rem substantiam admodum raram multiplicesque ac peramplas arterias vberrimo sero refertas impertiit.
Alioqui metallicas aquas qui largiùs potant; nec tam copiosas vixque immutatas; nec tam celeriter mingendo remetirentur. An & ob eam causam melancholici qui, quàm alij liberaliorem
vrinam profundunt, astrictiore sunt aluo? Secus res cadit, vbi putealis, stagnans, lacustris, palustris, aut quomodocumque deprauata aqua ad potum adhibetur, quia namque crassior, ob-
struit, & vitium cunctatione capit; vtque putredini ferè comes est calor alienus, eo quasi fermento attollitur ebullitque humor melancholicus; succenditur & Lien qui cœco æstu multo-
que humore crasso impeditus ac segnior, vix ampliùs officium facit, quidquid subinde liquoris ingeritur peregrino calore, quasi manu cohibet, & quem copiâ ac putredine molestum to-
tum turgidus capere nequit, circa præcordia regerit. Et hanc pestem simul atque sensit jecur, concalescit suâ temperie suoque robore tandem excidit, quam hausit auram perniciosam
spirituum succorumque omnium corruptricem, afflat appellenti ad se chylo non amplius in purum floridumque sanguinem, sed in saniem, tabum & spurcitiem abituro. Et dubitas an te-
tram luem ignemque σηπεδονώδη adhuc quidem doloso cineri suppositum, magna calamitas ac prorsus horrenda sint subsecutura symptomata.

QVEMADMODVM quò magis ditantur Ærariorum hirudines, hôc reliquam plebem major premit inopia; sic tum maximè contabescunt infeliciterque nutriuntur singulæ corporis
partes, cùm vnus intumescit lien, pleniorque ac solito major euadit. Inde nempe lutulentus nec à sua fæce repurgatus, ac propterea parum ad alendum accommodatus sanguis ægrè fluit per
venas & arterias, nec tam recreat, quàm suis sordibus obruit partes ad quas deducitur: hæ porro nullis pene spiritibus illustratæ languent, nec satis se fœdi alimenti reliquiis expediunt, &
si quid est acrioris seri quod mordeat omnium mollissimas, quales sunt gingiuæ & quæcumque ore continentur, statim exedit, excitatque vlcera deformitate & fœtore, qui putredinis par-
tus est, perhorrescenda. Crura & tibiæ licet ori & gingiuis mollitudine cedant, fere tamen atris maculis, interdum & vlceribus nulla cicatrice obducendis infestantur, quòd à natiui ca-
loris laribus longiùs absint, excussamque valentiorum partium sarcinam excipiant. Scorbutum igitur, qui Magnum Lienem appellant, nihil peccant, vtì nec qui Terræ Malum vocant,
adeo naui in terram aduectis & prauis aquis antea vsis familiaris est morbus: Eo quidem persæpe laborant qui palustribus in locis degunt, at multò frequentiùs Balthici & Germanici
maris accolæ.

Ergo est Scorbutus ab aquarum vitio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Raphael Maurin.
M. Ludouicus Gallais.
M. Franciscus Goüel.

M. Petrus Cressé.
M. Petrus Lelarge.
M. Antonius Ioannes Morand.

M. Gilbertus Puylon.
M. Ioannes Vacherot.
M. Claudius Seguin, primarius Reginæ Matris Medicus.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS BRISSET, Druïda, A. R. S. H. M. DC. LXI.